





9  
1724  
176

Q. D. B. V.  
DE

VNIVERSITATE  
DELINQVENTE  
EIVSQVE POENIS  
DISPV TABIT  
PRAESITE  
NICOLAO HIERONYMO  
GVNDLINGIO ICT.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS  
INTIMIS ET ECCLESIASTICIS IVRIVM PROFESSORE ORDINARIO

h. t. DECANO.

PRIDIE NONAS NOVEMBRI

H. L. Q. C.

PRO PRIVILEGIIS DOCTORIS  
CONSEQUENDIS  
CHRISTIANVS PHILIPPVS STOLL

ZITTAV. LVS.

---

HALLAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis IOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.  
MDCCXXX.

MARIA  
THERESA  
REGINA POLONIAE  
CZECHEI ET BOHEMIAE  
ARCHIAD ROMANIAE

ET HUNGARIAE  
REX AUSTRIA  
SERBIAE ET Dalmatiae  
DUKE OF LIGURIA  
DUKE OF TOSCANA  
DUKE OF PARMA  
DUKE OF GUICCIARDINI  
DUKE OF BRESCIA  
DUKE OF MILAN  
DUKE OF BRERA  
DUKE OF GUASTALI  
DUKE OF MONZA  
DUKE OF CARPINETO  
DUKE OF ASTI  
DUKE OF SPINA  
DUKE OF MONFERRATO  
DUKE OF CAVRIANO  
DUKE OF VENEZIA  
DUKE OF BRESCIANO  
DUKE OF CALVI

MONSIEUR DU BOURGEOIS

DU CHEVALIER DE LA FAYE

DU CHEVALIER DE LA FAYE

DU CHEVALIER DE LA FAYE

INCLYTAE  
REIPUBLICAE ZITTAVIENSIS

SENATVI AMPLISSIMO  
ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS PRAENOBLISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS PRVDENTISSLIMISQVE

VIRIS  
CONSVLIBVS  
SYNDICO  
PRAETORIBVS  
SCABINIS  
SENATORIBVS  
RELIQVISQVE

DOMINIS ATQVE PATRONIS  
OBSERVANTISSIME COLENDIS

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM SVAM

DEVOTA MENTE CONSECRAT

CHRISTIANVS PHILIPPVS STOLL

ZITTAVIENSIS.



On e longinquo mihi ar-  
cessendæ sunt rationes,  
qua me commouere, pu-  
blice ut vos compellarem  
quorum consilio ZITTA-  
VIENSIVM regitur ciuitas, summoque  
cum hominum amore inconuulia perre-  
xit hactenus. Nunquam enim obliui-  
scor, me plurima ac maxima VOBIS  
debere, quorum etiam studiosissimus  
semper extiti, meaque salutis funda-  
menta in VESTRO potissimum fauore  
ac

---

DEDICATION.

---

ac benevolentia collocaui. Nunc vero,  
quum ab academiis recedo, & domum  
redire cogito, eo me P A T R I A E,  
quam summa cum pietate & fide semper  
colui, charitas trahit, nihil ut melius,  
neque laudabilius, neque honestius exi-  
stimem, quam placere eiusdem PRO-  
C E R I B V S, clarissimisque V I R I S, quo-  
rum iudicium est rectum, bonisque pro-  
batissimum. Igitur omnes vias occasio-  
nesque apprehendo, ut quæ fuerit vitæ  
studiorumque meorum ratio paullulum  
intelligatis; cumque Doctoris honores  
ambiendo in F R I D E R I C I A N A publi-  
cedisputauerim, facio iam, vt, quod cer-  
nitis, inaugurale specimen e cathedra ad  
vos perueniat, S E N A T V S Q V E tam  
sapientis ac multis nominibus cognitissi-  
mi oculis iudicioque ea, qua pars est, mo-  
destia atque obleruantia exponatur.

M(2)

Nec

---

DEDICATION.

---

Nec dubito, quin pro singulari bonitate VESTRA, hoc, quidquid est, muneris serena fronte ac propitia in res meas voluntate sitis accepturi. Semper enim iudicauit, valiturum id, quod maiorem in modum rogo, præsidium contra censuras omnes, si que vos habeam, cuncta me habiturum, quæ vñquam animo sum complexus. Fauxit igitur DEVS immortalis, ut RESPUBLICA, cuius eftis defensores, VESTRIS vigiliis consifat, VESTRA prouidentia perennet, VESTRIS que officiis creſcat. Quod si fiat, PATRES conſcripti, incliti SENATVS augebitur splendor, amplificabitur dignitas, atque omnium denique VESTRVM sapientiam, virtutem ac decus nulla ætas fidebit, nulla posteritas conticescet. Halæ Magdeburgicæ pridie Kalendas Nouembbris CIC 10CC XXIV.

CON-

# CONSPECTVS DISSERTATIONIS

§. I. Uniuersitatum qualitates generatim recentiae. §. II. In definienda uniuersitatis voce dissidentiauctores. §. III. Laudatur Huberus. Proponitur definitio. §. IV. Cur tales in ciuitate magna occurrant communitates? §. V. Sunt ille sub imperio summae potestatis, & persone composta. §. VI. Ad quod intelligentium nulla opus est fictione utri tota illa consociatio intellectu tantum percipitur. §. VII. Neque corsensio uniuersitatis & conspiratio in unum commento eget. §. VIII. Cur ius maioris partis in collegiis sit necessarium? Hobbesii argumentum non spernendum. §. IX. Divisio uniuersitatum. Collegium, corpus. §. X. Quare tres minimum in iis personae requirantur? Observatio Merillii. §. XI. Priuatorum iure vtuntur. §. XII. Delinquere dicuntur. Rationes in contrarium. §. XIII. Quibus respondetur, simulaque ostenditur, eas interdum vere delinquere. L. 15. §. I. ff. de dolo malo exponitur. Hertii sententia confutatur. §. XIV. Uniuersitatis & quec & restringis differentia. Delictum administratorum & Rectorum his, non uniuersitati tribuitur. §. XV. Ratio dabitandi a liberarum rerum publica

## CONSPECTVS DISSERTATIONIS

publicarum & que sururis sunt, exemplo desuntare refellit. Nec diuersum in Imperii ciuitatibus addmittitur  
§. XVI. Repentinus multitudinis motus non est motus universitatis. §. XVII. Communi consilio peccantes, siue omiserint, siue comiserint, delictum uniuersitati proprium admiserint, an commune, uniuersitatem efficiant delinquentem. §. XVIII. Delicta iratium temporis habentia interdum propter ratificationem, aut negligentiam toti corpori imputantur. §. XIX. XX. An collegis, omnibus recte adscribatur, quod fecerunt aliqui ex collegio, antequam in numerum venerint? Quod negatur cum adiectione. §. XXI. Singularis iex de Fabricensibus, qui pro delictis sodalium satisfacere publico obstringebantur. Plura de Fabricensibus. Observatio de militibus Romanis, quos viciuri in cute punctis signabant, & scribabant. Simius de Fabricensibus adnotatio. §. XXII. Statutum multarum Italie ciuitatum, quo proximi pagani damnum viatoribus illatum resarcire cogebantur. Bartoli color. Fr. Amaya laudatur, commentum Bartoli discentiens. §. XXIII. Cuius rationes expoliuntur. §. XXIV. Vbi plures ex uniuersitate peccant, totum sistema peccasse perperam creditur. Ius maioris partis in delictis non valet. §. XXV. Repugnantia est, delinquisse uniuersos censeri, nec tamen iure summo posse puniri. §. XXVI. Resumitur hoc thema & quam difficilis sit questionis solutio ostenditur. §. XXVII. Animaduerterunt hic nodos difficiles permulti, quos tamen neutiquam sustulere. Demonstratur, nihil hic posse singi. Tentatur circuus; ac demum perspicue peruinicitur, facere crimen plurimorum, ne constat unitas: eoque plectentur, qui peccauere; ceteri non item. §. XXVIII. §. XXIX. utut aliquid molestiae fe-

7428

---

## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

---

rant e dissolutione sodalitii, aut sublatione priuilegiorum.  
Quod latius illustratur. Similia Gratii: Similia dispu-  
tantium. Carolus V. magdeburg. §. XXX. Pertinet  
tamen ad officium Principis, ut panierdo innocentibus  
quam minimum nocat. Exempla ire diuinæ acerbissima  
ad rem non faciunt. Nec Hobbesi simile a bellis cladi-  
bus desuntum alicuius hic momenti est. §. XXXI. Re-  
citur distinctio inter verum delictum & impro prium;  
eiusque inconciinnitas exponitur. §. XXXI. In uniuersi-  
tate vere delinquentे iure summo omnes possunt puni-  
ri. §. XXXII. Inscriptio Neposinæ ciuitatis. Dn. de  
Bürau laudatur. §. XXXIII. Quod tamen dissuader  
timilis prudentia. §. XXXIV. §. XXXV. Iudicium de  
militum Romanorum decimatione, ac fritione norio-  
rum. Bacelrus caute & sapienter hac in re incedit.  
Fustuarium. Punienda sceleris capita. §. XXXVI.  
Principes crudeles non tam fortes sunt, quam timidi.  
§. XXXVII. Non possunt innoxii etiam multari pecu-  
nia. §. XXXVIII. Pontifices Romani nusquam nega-  
runt, uniuersitates posse delinquere. Gaddei spbalmata.  
§. XXXIX. Nec Papa ob delictum paracianos omnes un-  
quam puniuit vere: viu sedem episcopalem ab huiusmo-  
diciuitatus, quæ Præfalem suam interfecere alſalit. Vi-  
ſitatores Episcopi. De Scyllacensi urbe aliqua §. XL. Compa-  
rato coercionis Scyllacene cum animaduersione Romano-  
rum in receptionem Caput. §. XLI. D linquentibus ex-  
tinguis nulla in successores locum habet pæna. Quod lu-  
centius deducitur. §. XLII. Nec tamen semel iuste puni-  
ta ciuitas ure suo recuperat om̄ia, et si perire omnes,  
qui criminis nomen dedere. Quidquid accipit, nouum  
est. §. XLIII. Corpus uniuersitatis extinctum, quan-  
quam reuiaſcit, non est illud antiquum. Cnei lisonis  
delictum de Atheniensibus expenditur. §. XLIV. Ca-  
pua novo beneficio recreata. Locus Velleii Paternuli ex-

pli-



## CONSPPECTVS DISSERTATIONIS.

plicatur. §. XLV. Spartanus a Reinesii arguitis de Bu-  
leutis Alexandrinæ ciuitatis defensus. §. XLVI. In-  
iuste damnata vniuersitas , si res philosophice pensite-  
tur, nihil anitit , nec parendi necessitate constringi-  
tur. Sed est tamen consultius, ut superioris open im-  
ploret, aut, si hic deficit, ad preces confugiat. Reſti-  
tutio ex capite iustitiae omnia reddit. §. XLVII. Non  
autem illa, quæ fit ex benignitate. §. XLVIII. Nisi ple-  
nissima fuerit. quod probantum; eoque probato omnia  
itidem recipiuntur; etiam actiones in personam a fisco  
remissa. Quod limitatur, si princeps ciuitati sui iuris  
debitum remisit. De iare quæsto auferendo nonnul-  
la. §. XLIX. An vniuersitas delinquens per Syn-  
dicum sese iure defendat? Quod adfirma-  
tur. Conclusio.



DE



DE  
DELINQVENTE  
VNIVERSITATE EIUS-  
QVE-POENIS.

§. I.

**N**on est demirandum, delinquare Vniuersitates & puniri, quæ nascuntur, crescunt, ad pueritiam perueniunt, adolescent, florent, ægrotant, senescunt, moriuntur: quas qualitates optime depinxit Petrus Faber, Vir doctissimus, atque exemplis illustravit *Semestrium Lib. I. cap. IX.* Itaque opera pretium videtur, ut delicta carum paullo accuratius circumspiciamus, & modum peccandi, & pœnas foederatae malitiæ conuenientes, cum & hic occurrant memoratu digna,

A

§. II.

2 DE DELINQVENTE VNIVERSITATE

§. II.

Quod ut feliciter cedat, examinabimus illico, quid vocetur & sit VNIVERSITAS? Valde enim hic certant doctores, quandoquidem metaphorica adfrunt nonnulli, aliqui aliena admiscent, multi inepta effuent, quidam vero ad veritatem propius accedunt.

§. III.

Ulricus Huberus, cum in positionibus, cum prælectionibus ad ff. quod cuiusque universitatis nomine, cum etiam in Imre Publico veiuersali cap. X. §. 2. diligentem huic rei operam nauauit, a qua dissentiat licet unus aliquis, non erit tamen multum, quod ipsius officiat luminibus. Nos generatim Vniverstatem multitudinem dicemus utilitatis causa certo regiminis ordine, vel proprio consensu, vel summe potestatis permisso in perpetuum confociatam. Et eo autem pacto nec liberas Respublicas, quæ sui iuris sunt, excludimus, nec vnum bene ordinatum corpus collegiumque: quanquam hoc loco illas dantaxat considerabimus, quæ summo imperio subsunt, eoque nec familia videntur, nec Respublica.

§. IV.

Neque enim ciuitas fere inuenitur magna, cuius subiecti non sint distributi in certos ordines simul atque coniuncti, quo summo imperio regantur commodius: immo saxe necesse est, ut ita consocientur, quo commune bonum, quod imperantes ac ciues ani-

mo

mo complectuntur, consequantur secundum fines suos  
vniuersiti: quod secus est in multitudine, que nullo iure  
continetur.

## §. V.

Vnde deducas, vniuersitates constitui eorum  
potissimum consensu, quorum interest; hacque ratio-  
ne in vnum coalescere, ut idem intelligere & velle cen-  
seantur; atque etiam revera velint, si id bene expli-  
cketur; non exclusa interea summæ potestatis auctorita-  
tate, quam ciues semper ante oculos debent habere  
constitutam. Neque enim patitur societatis civilis indo-  
les, vt, vnde commodum, incommodumue redun-  
dare in illam insigne potest, priuato aulu suscipiatur:  
prorsertim, cum homines sint, qui coeunt, affectibus se-  
pe agitati atque a vitiorum labo nunquam penitus im-  
munes. Ex quo sit, vt talium communitatuum con-  
iunctio firmior habeatur, & licita; indeque vnitas re-  
sultet, cuius ratione persona mystica vulgo audiunt,  
ac morales compositæ dicuntur. Quod tanto con-  
fidentius faciunt Iurisconsulti, cum Florentinus lib. VIII.  
inst. HAEREDITATEM PERSONAE vice fun-  
gi adseueret, sicuti MUNICIPIVM, & DECVRIA  
Societas. l. 22. ff. de fideiissoribus.

## §. VI.

Sed inde vero vix opus est, ut per fictionem  
istud fieri statuatur, cœu facit Dadinus Alteſerva de fi-  
ctionibus iuris lib. I. cap. XIX. Vix enim ad fictiones

A 2

descen-

4 DE DELINQVENTE VNIVERSITATE

descendendum, vbi clare intelliguntur omnia, &, quomo-  
dum vuitas generetur, patescit; nimurum, vt multi  
homines considerentur, tanquam unus homo ob con-  
spiracyem voluntatum, quæ omnium actionum hu-  
manarum principium constituant: parumque ad rem  
facit, mera tamen mentis distinctione a municipibus &  
ciuibus municipium segregari, & iterum in unum con-  
flari, nec sensibus usurpari, sed intellectu solo per-  
cipi. Illico enim infirmitas huius argumentationis  
in oculos insilit, quando perpenditur, surum sic ut  
res incorporales omnes sint commentitæ, nihilque ve-  
ri contineant; sed corporales tale elogium tantum fe-  
rant, quæ sensu notantur, & per aspectum, auditum,  
tactum, odoratum, gustatum, tanquam per satellites,  
animo offeruntur: quasi vero intell. etus pro sale cor-  
pori sit, ne putrelcat, aut, quod ille operatur, totum  
imaginarium & ex ingenio compositum credi debeat,  
aut saltem verum, quodque reapse existit, desinat,  
quam primum mens suo officio fungi incipit. Quod  
fane absolum est, hominesque demonstrationes euertit,  
quæ sine mentis abstractione non fiunt; viut interea  
veritatem in luce constituunt, vel ipsissimæ veritates  
sunt. Ceterum id facile permitto, vniuersitates certo  
sensu artificiales recte appellari, quia pactis coagmen-  
tantur, quibus Hobbesius non male *artificii* nomen tri-  
buit, quorum textura non tam a natura, quam homi-  
num confessione & voluntatum catholico concentu-  
moxorū  
ortum

ortum trahit: cui cogitata & vota omnium communia respondent.

§. VII.

Noli adfirmes: vix tamen intelligi, qua ratione consentiant vniuersi, cum id rarissime contingat, vt ne dissentiat vnum: ad id vero, quod vix centesimo evenit anno, nec civilis prudentia auctores, nec iuris conditores respicere: adeoque hac parte minimum fictionem fore admittendam. Nego hoc rursum. Fictio enim aliquid ponit, quod non est. Hic nihil ponitur, nec fingitur, sed reuera in actibus rerum deprehenditur. Nam cum talis vniuersitas sine motu consistere nequeat, sed velle, & consentire cupiat, imo aliquando dissentire desideret, & vere saepius dissentiat; consequitur certe, vt modum volendi, aut nolendi possibilem eliant vniuersi, qui in eo versatur, vt, quod maior pars decrevit, omnium decretum non solum videatur, sed & iidem pro sua voluntate haberi enixe flagitent, & sic contra. Quod autem enixe cupiunt, non sane fingunt; quodque rapte nolunt, nequicquam se nolle ex ingenio comminiscuntur: nisi quidem nolle & velle ad non existentia referas, aut, dum cupis, fingere te credas, aut, dum discupis, id fabulari ac somniare appellates; aut saltem animorum motibus nusquam firmiter consistentibus adscribas,

§. VIII.

Quibus praemissis fine negotio nunc percipitur,  
A 3 quare

6 DE DELINQVENTE VNIVERSITATE

quare ius maioris partis ex regula omnibus in collegiis (\*) obtineat. Neque enim vllum fere ex coniunctione sua commodum sentirent vquam, si vnamium suffragiorum symphoniam expectarent sociati. Quare ita debent cogitare omnino, nisi inutilem reddere & immobilem totius vniuersitatis machinam & abludere a scopo præoptent, quem habuere sibi præfixum, cum coirent, nempe, vt vellent, &, quæ sibi vtilia, decernerent, &, quæ inutilia, ea ratione auerterent. Nec vili pendendum proslus Hobbesii (\*\*) argumentum, qui, dum suffragia ferunt collegii membra ac dissentivunt, singulos singulis, scribit, contradicere; non autem ceteris, quorum accessione hæc, istaue pars reddatur numerosior, quibus interea nemo contrait; adeoque efficitur, vt, dum paria suffragia nihil concludunt, cetera vincant proque totius personæ ex pluribus hominibus constantis voluntate habeantur. Qui propositum coeuntium hoc loco non admittunt, & Grotium Lib. II. cap. 5. §. 17. tenere reprehendunt, in λογοθεσίαι incident. Vana enim ratio est, collegia sæpe superiorum & magistratum maioris partis decreto absisse stare cogi, et si tale animi propositum non habuissent

(\*) Est & vbi inter priuatos obtinet, nempe, ut ad vniuersos referatur, quod sit per maiorem partem. Adulit I Gethsemanus ad R. L. 160. §. 1. exempla idque in obstetricibus ventrem insipientibus obseruatam Paulus Ict. refert. L. II. sent. tit. 24. §. 3.  
(\*\*) in Leuiathane cap. XVI. in f.

buissent ipsimet. Sat enim est, quod ita debuissint cogitare, aut ex post facto eo modo calculos subducere, negotiorum ciuilium natura suadente, obstringantur, aut etiam populo eligenti magistratus alia mens adtribui nequeat, si res indipisci exitum, nec actibus ille suis inuehore moram, aut denique tolli vniuersitatem ac disturbari omnia incondite concupiseat.

## §. IX.

Non est nostrum, lustrare & suis nominibus nuncupare vniuersitates omnes, cum earum inire numerum nec facile sit, nec necessarium. Sufficiat, inueniri maiores, ut sunt prouinciae, oppida, pagi, academiae, ecclesiae: nec deesse minores, quales collegia opificium, mercatorum & similia corpora videntur, quorum varia apud Romanos, plura apud nos occurrunt: quamvis non nesciam, esse, qui collegia a corporibus distinguant, atque hæc ab ipsis. Sed exigua huius disceprationis utilitas videtur; isque vincer, qui Latino sermoni conuenienter loquitur; & *Latinus* autem corpus, collegium, ordinem promiscue sàpè sàpius usurpat: inque eo conueniunt omnes, plures homines collegium constituere atque vniuersitatem, quibus ius coeundi a summa potestate est concessum: cetera illicita sunt, nec iuris sensu pro collegis corporibusque habentur.

## §. X.

Plures vero dum nominantur, palam fit, minimum requiri tres. Id non solum iuri Romano congruit,

gruit, verum etiam naturæ rei, quam hoc loco spectamus, penitus conuenit. Etsi namque pluralis locutio duorum numero in causa testimonii ferendi continetur *l. 12. ff. de testibus*; nemo tamen non videret, propterea hic requiri tres (\*) minimum, ut unus in impari sententiarum controuersia suffragia dirimat: fierique vix potest, ut sententiæ ponderentur; eoque rectius illæ numerantur: ut hoc Plinius *L. II. ep. 12.* indignatur, perfectionem mente depingens, quæ nec in Romuli face inuenitur, nec propter naturalem hominum superbiam sapienter speratur. Id vero quod ex accidenti venit, nempe ut serueretur fodalitium capite in uno, nihil ad rem facit, nec regulæ loco statuendum.

## §. XI.

Ergo igitur illi plures in unum per maiorem suffragiorum partem conuenientes decernunt, & paciscuntur, transfigunt, contrahunt; modo reuera consenserunt plures, aut in corporum utilitatem aliquid apprehendatur versum; inque plurimis iure priuatorum vntuntur, vel omnibus ciuibus communi, vel singulari. Quin neque res ipsis desunt, neque priuilegia: habent arcam communem, sigillum saepe, Syndicu[m]: accipiunt & ad-

(\*) Habet nonnulla Edmundus Merillius controuersiam hanc illustrantia lib. I obseruat. cap. XXIV. vbi simul ex Seruo ad lib. III. Aeneidos Virgiliane obseruat. Quirites imitari hac parte Graecos, quorum pluralis numerus inciperet a tribus: cum vicissim duos indicet numerus dualis.

& adeunt a tempore Neruae & Hadriani hæreditates, legata adipiscuntur, possident quoque, iurant, iustificandum deferunt, cetera. Quod autem in quibusdam causis duæ suffragantium requirantur tertii præsentes, inque pagis omnium & singulorum consensu & subscriptio aliaque desiderentur alicubi, a iure arbitrario m̄rito decruiatur: quod sicuti est insinutum; ita vix censemus opera pretium, inhærente iis longius, præferim cum sine hac contemplatione propositum adsequi nostrum queamus.

## §. XIII.

Nostrum enim primarium thema eo collineatā: an ciuitates, pagi, uno verbo vniuersitates delinquent, ac propter delictum suum recte puniantur? Neque enim dubia desunt, quare id negandum videatur. Nam cum animo delinquatur ac consequenter corpore, & ciuitas autem, municipium, vniuersitas nec animum habeat, nec corpus, sed merum juris nomen sit; neque sensibus occurrat, sed intellectu tantum percipiatur, & mystica persona sit; non inepte videtur concludendum: vniuersitatem non delinquere igitur: idque expressis verbis prodere creditur Vlpianus l. 15. §. 1. ff. de dolo malo. SED AN in municipes de dolo detur a dico? dubitatur. Et puto ex suo quidem dolo non posse dari: quid enim municipes dolo facere possunt: Addunt, nec Pontifices existimasse, vniuersitatem peccare, eoque diris illam devouendam negasse.

B

§. XIII.

## §. XIII.

Sed salua res est, si penitetur probe, quid fiat, quando municipium peccat, aut vniuersitas alia leges transfilit. Sæpe enim vsu venit, vt 1) signo dato conueniant omnes, aut saltrem 2) plurimi præsentes consulo animo patrandum aliquid per maiora decernant. Primo etenim casu vere delinquit tota vniuersitas, ac vere quoque de dolo ac metu iniusto tenetur: quod nec Vlpianus negat 1. 9. §. 1. ff. *quod met. causa*. Vnde cum is insciatur, municipes dolum committere non posse, diuersum sane themamente depingit, idque circa exponendum est aliter. Hertius (\*) inter municipes & municipium distinguit, inter vniuersos & vniuersitatem. Quod ita intelligo. Quemadmodum enim quod vniuersorum, non est singulis proprium; nec, quod ad vniuersis debetur, singuli debent; nec, quod vniuersitati, idem & singulis debetur; sic quod municipium dolo fecit, nequam ad singulos municipes pertinet, ita ut unus solus debeat deuorare, quod intruere ceteri, aut vniuersi. Quilibet namque e suo facto obligatur. Quod Vlpianus ipse agnoscit, dum municipes obligari contendit, si quid ex dolo delinquentium administratorum ad ipsos peruenit. Quæ obseruatio potrema efficit, ne penitus consentiam Hertio. Magis quippe est, ut de administratoribus, verba faciat Iuris-

con-

(\*) in differ. *de pluribus hominibus vnam personam suffici*  
*numeribus* Sect. II. §. VIII.

consultus, quibus reddituum, pecuniae publicæ & æra-  
rii cura erat demandata, qui interea in contrahendo  
dolum admittere facile poterant, atque hic non est tri-  
buendus municipiis; sed Decurionibus potius, in quos  
actio de dolo locum habuit utique.

## §. XIV.

Nec enim viñus generis sunt vniuersittes. In  
quibusdam *equa* inueniuntur societas omnesque aqua-  
li iure ac facultate fruuntur. In aliis *rectrix* observa-  
tur, quarum Duuumiri & occuriones, magistri ac reli-  
qui adseffores faciem totius vniuersitatis ferunt, vel ad  
tempus, vel toto vita tempore, vel etiam hreditario  
iure. Quae omnia solicite sunt poderanda, tum, si con-  
trahatur cum vniuersitatibus, tum, si Syndicus consti-  
tuendus, tum denique, si de delictis earum sit iudican-  
dum accurate. Vix enim recte imputabitur populo  
crimen, quod ab eo ortum non habuit, sed aliis, qui  
municipio cm auctoritate prasunt.

## §. XV.

Ac caue sis pronunties: in civitatibus, quae sui  
iuris sunt, subiectos ob Principum suorum deliria & Con-  
sulum Senatorumque facinora bello non peti iniuste;  
proinde idem adseuerandum videri in municipiis, qui-  
bus itidem delicta rectorum & administratorum suo-  
rum neutiquam tribuerentur iniuste. Maximum enim  
hic animaduertitur discriben. Sicuti namque vox  
Principis vox populi est; inque eius voluntate cetero-  
rum

rum voluntates omnes insunt; deque eo publice constat; ita mirum videri vix debet, si, ubi bellum ingruit, innocentes ac noxii iuxta cadant. Quis enim distinguat hosce ab alteris? Quis cum perturbata omnia, clare perspiciat, quantum peccarint singuli? quoisque approbauerint Principis sui perniciosa consilia? Quis adfenserit illi? Quis adulatus sit? Quis incitauerit simulacrum addiditer sureni? Quid cuiusque gladius erigit? Qui sensus fuerit Caii, Meuii, Titii? At in pace causa merita spectantur. Hic inquire & definiri ut plurimum potest, qui auctor & architectus fuerit mali perpetrati? Vnuerstaties vero & municipia, quod a nobis considerantur, sub regimine superioris in pace agunt, nulla belli formidine circumstrepentes: quorum rectores, cum auctoritate licet imperent, & expediant, faciantue omnia populi nomine; vix tamen hunc representabunt, cum a muneri ratione desciscunt, cum extra orbitam recti profiliunt, & aliquid iubent, omittuntue a Principis proposito & iussis ab ludens: nisi quidem ipsi municipes se sociauerint iniuste agentibus, confirmentque inique gesta, eaque laudent, ac peruerse incidentibus applaudant. Tum enim iterum vere ac proprie delinquent Achium; nec diuersum de ciuitatibus imperii statuendum, sicuti Knipscheldius (\*) bene animaduertit.

## §. XVI.

Sed finge, de improuiso globum inconditæ multitudi-

(\*) de Iur. ac priuile. Cluianat, imp. L.V. c. 7.

titudinis sine prævia deliberatione ac decreto in scelus aliquod prorumpere, ac vel maiorem partem, vel omnes fecer ex vniuersitate flagitio suo implicare, quæstio erit, an vniuersitas deliquisse sit credenda? Et non putat Vlpianus l. 15. §. 2. ff. quod vi aut clam. Nequaquam enim communi omnes consilio peccarunt; sed repente-  
no mot consurrexere, alter alterum sequendo, ceu  
grus gruem ac coruus coruum; eoque perperam quis eos tanquam vnum personam consideraret, cum funda-  
mentum vnitatis desit: viut faces ac saxa volarunt in-  
que criminis societatem paulatim pertracti sunt pluri-  
mi. Obligatur quisque per se; idque in solidum, defi-  
cient reliqui, an præsto sint? quia suo consilio flagiti-  
um commisere singuli; cum vicissim ceteri, qui se a  
peccato tenuere, nihil noxa contrahant, sed impeccabi-  
les maneat hac parte.

## §. XVII.

Vbi vero *communi consilio* præcedente lineas transiliueri vniuersi, committant, an omittant; tum sane meritum oritur commune nec a contracta labore corpus totum liberatur; quandoquidem vnum habuisse πρόσωπον cuncti censemur, eorumque maleficium ne-  
que in particulas diuidi, neque singulis tribui seorsum potest; delictum vniuersitati (\*) proprium suerit, an

B 3

aliud

(\*) Doctores hanc distinctionem excogitarunt quoniam de-  
prehenderant, militum delicta in propria & communi-  
nia separari l. 2. C. 6. f. de re militari. Quod & ad  
Ecclesiasticorum delicta obseruator traductum. Hoc  
loco vero ista differentia ne pili quidem est facienda;  
cum

aliud a quoque homine singulari patrari aptum, qualia sunt, homicidium, vis ac metus iniuste illatus. Nec scio, an Mynsingerus (\*) rem tetigerit acu, quando flagitia postrema pro flagitiis vniuersitatis agnoscere detrectat, quia vim inferre, hominem interficere, insultare aliis, delicta forent, quae omnibus a mortalibus possent admitti. Potius ille contra solem loquitur, ipsique legibus, quibus excitandis alioquin perdite detitus est, obstrepit, ceu ostendimus ex l. 9. §. 1. ff. quod met. causa: cui authenticam item nulla communitas C. de episcopis & clericis merito adiicimus.

### §. XVIII.

Id vero plus habet rationis, quod obseruat Lau-  
terbachius in dissert. de Syndicis §. LXII, euenire ali-  
quando, inque primis in seditionibus, coniurationibus,  
caussis fractæ pacis publicæ, quæ sunt crimina tempo-  
ris tractum secum plerumque ferentia, vt, quamvis con-  
sulta ratione ac commotata multitudine tam enorme fa-  
cinus non suscipiatur, istud tamen vniuersis ac toti cor-  
pori & Senati quoque adhæreat, qui non impediunt  
nesas, quod impedire possunt; aut etiam ratum habent  
ex post facto: cum ratum habere in maleficiis præci-  
pue

com de pena scelerum sermo sit: atque inficere di-  
cator, cetera crimina vniuersitatum manere impunita;  
nisi statutorum suorum limites migrauerint. Quod est  
prorsus illiberale.

(\*) Cent. IV. Obseruat. 78. n. 5.

pue sit mandare, ac non impeditre ratum habere. (\*) Perinde enim est, ac si cogitarent dicerentque: ne sic quidem male: fiat voluntas populi. Idque est, quod Rectoribus Werthensis ciuitatis ad Danubium obiecere Catholici furorem plebis remediis sat validis neutriquam coercentibus: vtut permulta ex facto & iure in contrarium adtulire civitatis Patroni ac Defensores, quibus perennis absoluenda potius illa, quam condemnanda fuisset. In quibus illud erat cum maxime, quod reprimendo furori impates fuissent, displicantiamque suam ipso facto ostendissent.

### §. XIX.

Ac sicuti vero delicta singulorum absolute in Magistratum reiici nequeunt; ita nec peccata, quorum auctores noti sunt, collegis aut eiusdem communitatis sodalibus recte imputantur, nisi quidem, ceu de ciuitibus commonesecimus Lectorem, ipsimet concurrant, eorumque consensus & voluntas voluntati peccantium agglutinetur, dum vel non prohibent pro virili, vel ignave ignorant, quæ a ceteris perpetrantur, aut, quæ perpetrata iam sunt, ipso facto continentur,

### §. XX.

Quamobrem iniquum prorsus habendum, si, qui nondum in Decurionum numero fuerunt, de seniorum,

(\*) v. l. Gothofredus ad l. 152. pr. de R. I.

rum, vel antecessorum suorum fraudulentia administratio-  
ne & delictis respondere cogantur. Neque enim  
illi Antecessorum suorum hæredes sunt, nec, si essent, in  
delicta eorum succederent, dolumque participant.  
Quin vix simile vero videtur, noue electis statim præ-  
cedentium Decurionum, Duumvirorum, item Consul-  
lum ac Senatorum gesta innotuisse, vt qui in bona fide  
sunt, atque ordinis totius postumi, quibus non omnia  
illico excutere scrinia permisum: sic, vt multa ignorant  
innocentissime, quæ forte contra leges & pacta a sui cor-  
poris hominibus antea sunt commissa. Aliud foret, si eo  
in sodalitio tum temporis vixissent, cum criminis tese  
obstrinxere conlegæ, quorum actiones a lege declinan-  
tes obseruare & potuissent & debuissent; vel illi deni-  
que ex post facto antecessorum & collegarum suorum  
illaudabile facinus sensu tabellaque deprehendissent.  
Tum enim iis aliquid malitiæ, aut saltem culpæ haud  
temere impingeretur, si tacerent, & facta antecedenti-  
um, vel præsentium administratorum nullo iuris colori  
innixa simili perfidia approbantes continuarent. Quæ  
circumspectiones sicuti non sunt negligenda; ita in-  
clytum ICtorum in Fridericana ordinem respondisse  
recordor: iniuriam factam Senatoribus celeberrimæ  
cuiusdam ciuitatis maritimæ, quos Princeps carceri cen-  
suit includendos, quia ab eorum collegis & antecesso-  
ribus non sit petita renouatio iuris tollendi vestigal, nec  
pensio ex contractu soluta die condicte: qui interea ad  
vnum omnes illo temporis intervallo, quo omissendo  
peccasse

peccasse Senatus dicebatur, illum in ordinem nondum erant cooptati, sed post longam intercedinem per varios demum gradus ad seniorem functiones sunt electi. Non succurrit iam, qua ratione illis ex malis emiserint oppressi: et si probe teneo, inaudito fere exemplo ab illis pensionem damni e propriis loculis suis requiritam ac mulctam insuper, defensionibus eorum posthabitis, dictatam.

## §. XXI.

Quod sane intolerabilius multo, magisque *παράδοξον* censeri debet, quam quod de Fabricensium collegio in codice Iustinianeo animaduertimus; qui ex arca communi cogebantur rependere, quod sodalium unus alterue de materia & armis, quae fabricabant, furto substraxit, aut vendidit, aut alienas in oras contaras transfluit, ipsa quippe *I. S. C. de fabricensibus* perspicue indicat, quare Theodosius cum Valentianoea ratione edixerat. *Iure* inquiunt, prouisum est, Fabricenses artibus propriis inferire: ut exhaustis laboribus immorentr cum subole professioni, cui nati sunt. Denique quod ab VNO committitur id TOTIVS delinquitur periculo *NVMERI*; ut conscripti nominacionibus suis, sociorum artibus quandam speculam gerant, *E VNIVS DAMNVM ad OMIVM transit dispendium.* Vniuersi itaque veluti in corpore unius formae, unius decotionis, si ita res tulerit, respondere cogentur. Et aliunde vero innoscet, esse hanc legem decerptam

C

ex

ex Nouellis Theodosii & Valentiniani, quas emendatius edidit Petrus Pitheus recudique curavit Cunradus Rittershusius: vnde simul patescit, qua de caussa id placuerit Imperatoribus. Expediebat namque Republica, vt ea materia fideliter custodiretur a collegio ὀπλονοεύτων, quæ rara erat quodammodo; cum ferrum optimum & aciarium parcus inueniretur, si excipiatur Chalybum terra iuxta Paphlagoniam, Hispania, Noricum, cetera, de quibus Salmasius adeundus in *exercit. ad Solinum pag. 703.* & Basilius Cæsareæ in Capadocia Episcopus *epist. 277.* Vnde nominari, qui manciparentur fabricæ, a ceteris sodalibus debebant, ab hac vitæ conditione recedere cum subole prohibiti. Ferrum vero a provincialibus illis præbebatur, sicuti & carbones: sitque nunc palam, quare totus numerus delinquisse censeretur, et si vñus solus ex numero a fide defecit. Considerabantur quippe tanquam corpus militare, cuius primicerius cum ceteris prouideret, ne quid detrimenti fiscus caperet, aut fabricensis alio elaberetur. Hinc illis, tanquam tironibus, (\*) nota iniusta,

¶ Ignari sunt rerum Romanarum, quibus peregrinum videatur victuris in eute punchis milites signari ac scribi, Saltē non legerunt isti Vegetum *lib. I cap. 8.* & *L. II. cap. 5.* vt præterea sanctorum patrum loca, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, quæ in medium tulit Iacobus Gothofredus in Comment. ad Cod. Theod. tit. *de Fabricenibus l. 4. Tom. III. p. 528.* Nec Salmasius eius rei est oblitus *de re militari libro*, nec Lipshus, nec Naudau in suis hac de materia scriptis: ita vt admodum

inusta, ut, sicuti latitarent, aut fugitiui essent, illico digneſſerentur. Quæ indicio ſunt peculiares rationes Romanis Principibus ſediffe, ob quas tanquam singulares personas noluerint eos ſpectari, totumque collegium ad ferendum diſpendium obſtrinxerint. Sed erat vero danni huius penſatio nequaquam poena proprie dicta; etiā vnius alteriusue peruersum facinus redundauit in ſodales, pondereque ſuo preſtit omnes. Cumque hoc penitus fit singulare & ad exceptions pertineat rariffimas, per ſe intelligitur, non id eſſe ad alias cauſas, inuitis legibus, trahendum: præſertim, quando bene perpenditur, quod hac in nouella Theodosii & Valentiniā XIII. ſequitur: feciſſe Imperatores, ut Fabricensibus ſine testamento & hæredibus diem obeuntibus ſuccederet collegium, ne de duriſie ſæpe nominati oneris qucrendi cauſa foret, ſieque incommoda commodiſtemperarentur.

## §. XXII.

Cuius moderationis exemplum ſi occurreret in ſtatuto, quo variae Italie regiones ac ciuitates vtuntur, quodque *Castrensis*, *Menochius*, *Surdus* ac *Panormitanus* indicant, non habuifſet forte Franciſcus Amaya (\*)

C 2

Iuris-

dum imperiti videantur, qui milites hac ratione signatos vel seruilem in modum, vel animalium more traclari clamitant. Eſt hec conſuetudo admodum vetuſta, nec inutilis.

(\*) Comment. in Lib. X. Cod. Tit. XXXI. l. 15. p. 260, n. 27.

Iuris consultus Hispanus sat argumenti, quare tot telis istud crederet oppugnandum. Caetur enim eo, ut, si quid damni fecerit viator, proximi PAGANI id resarciant illi. Sed sunt eius rationes neutiquam spernendæ, quibus peruin cere conatur, naturali hunc motrem æquitati repugnare, ut, licet nulla amissionis culpa, aut malitiosum consilium paganis adhæret; nihilominus tamen illi, tanquam si nefas contraxissent, ad pensandum damnum obligarentur. Nec iuuat, utilitate publica hostiri, quod certo modo acerbum videatur. Sat est, trahere hoc exemplum multum ex iniquo, dum, quo impediri a paganis nequit, ipsis nihilominus imputatur: iisque criminis commissi pœnam ferre coguntur, qui nihil commeruere: & damni vero restitutio maxima præponit. Noli obducas, damnum resarcire non significare pœnas luere. Scio hoc, siquidem noxia sit facta ab illis, qui istam coguntur sarcire. At nostri pagani fecerunt nequicquam; nec aliquid itidem neglexere, quod in eorum officio fuisset. Itaque pœnae loco erat, quod ab illis exigebatur, ut eorum non adtingebat, nec capitis pœna in eos, qui nihil fecere, constituta. Id enim quamvis atrocius foret, vix tamen & alterum iniquissima acerbitate caret,

### §. XXIII.

Igitur summatim dicam, in illis consistere pœnam

vbi magnus auctorum numerus occurrit, qui hunc motrem Italicarum ciuitatum referunt, ac partim defensant,

nam oportuisse , a quibus orta est culpa , seu malum : a paganis nihil est orrum : non igitur ad rependum interrimentum fuissent illi obstringendi . Bartoli effugium dubia hoc loco occursantia non tollit , quando is morem hunc ea de causa ab improbitate vindicari facile sibi persuadet , quod , vbi ratio statuti obseruat prægnans , iniquitas vanescat . Quippe altera ratio multo sane firmior est , innoxios videri absoluendos , nec vlo modo plectendos , criminalem animo , an ciuilem poenam mente depingas : præcipue si sumatur , nec omnes in vim viatori inferendam conspirasse , nec vnum , nec plures e pago aliquid ei surripiendum statuisse , nec , vt itinerum securitatem præstarent , impositum illis fuisse vnuquam & vsquam . Vnde concludendum , omne hic exulasse meritum , ex quo vel damno potuissent affici , vel poenis coerceri .

## §. XXIV.

In ceteris , quæ contemplati sumus , thematibus saltē aliquid meriti deprehenditur . Nam quæ vniuersitas in delictum conspirat , aut ratum habet ex post facto , aut aliquid neglit , illa sane nefas contrahit . Quod si aliqui sint , aut etiam plures ex illa , qui moliantur facinus & perpetrent ; tum quidem veri specie non prorsus defiliuntur auctores , qui totum *auspicia* censem peccare : quod vniuersitas alioquin habeatur pro vna & composita persona . Sed rectius calculos ineunt , qui & eo pacto crimen a toto corpore auer-

C 3

runt :

tunt; quandoquidem vñitas illa ex foederata consocia-  
tione profluit: quæ interea hac parte neutiquam repe-  
ritur, cum non sint eo fine coniuncti vniuersi, flagi-  
tiis vt operam dent, aut de plurium delictis, quæ nun-  
quam approbauere, respondeant, sed vt commoda  
corporis pro virili promoueant, & incommoda, quoad  
licet amoueant.

## §. XXV.

Ex quo perspicue confit, Titium Iurisconsultum  
Lipsiensem acutissimum iure reprehendisse Zahnium  
*ichnographie municipalis scriptorem*, existimantem, to-  
tam vniuersitatem delinquisse, in qua maior pars in scé-  
lus transcurrit. Dicitur hoc, sed dum ipsem deinde  
de poena corporis delinquentis mentem aperit, in-  
noxios iterum excipit, qui vel contraiuere ausibus mu-  
nicipum iniustis, vel vi metuque compulsi manus de-  
mum dedere victas. Quod satis probat, poenas tene-  
re suos auctores, nec ius maioris partis hac in cauſa  
vñquam debere attendi,

## §. XXVI.

Vbi enim delictum, ibi pena: vbi nulla pena  
ibi etiam perperam singitur delictum & contra. Quo-  
circa etsi permittitur, culpam & dolum contrahere v-  
niuersitates; est tamen ille dilucide demonstrandus.  
Majora suffragia in criminibus pro omnium voluntate  
haberi minime possunt; quamlibet & hoc demus, præ-  
sumptionem militare contra omnes, nisi innocentiam  
suam

suam euidentibus argumentis signisque commonstrent. Sed fac probasse aliquos, immo multos, extra noxi-  
am se fuisse constitutos, num peccauit vniuersitas? Et  
certum habeo, solutionem quæstionis huius non adeo  
esse facilem, ac primo obtutu videtur. Neque enim  
hic vnitas cernitur, quæ alioquin facit, vt communi-  
tas individua censetur persona. Commonfecimus  
dubitantes iam dum nullam hac parte delictorum so-  
cietatem offendit, ob quæ patranda vix certe in vnum  
sele collegere, de quibus etiam primo in ortu nun-  
quam cogitarunt; eoque fieri nequit, vt ius maioris  
partis vniuersa & singula membra vel expresse, vel ta-  
cite approbasse hac in causa credantur. Vnitate ve-  
ro hac morali cessante numerus oritur, eoque pacto  
non vnum πέσωντος, sed plura obseruantur, quorum  
vnum quodque luat, quod fecit commeruitque. Quid  
igitur respondebimus?

## §. XXVII.

Non diffiteor, animaduertisse tum Philosophos,  
tum Jurisconsultos difficiles hosce nodos; eamque ob-  
rem pœnæ subiiciendos, qui nihil admisere mali, sine  
circumitione negarunt omnes: quamquam interea in-  
numera prostant exempla, vbi punita sunt talie cor-  
pora, ac privilegiis exuta, redactaque ad incitas. Ve-  
rum cum legibus stemus atque argumentis certemus,  
sola exempla ambiguum nütiquam thema resoluent.  
Itaque dicendum forte, fingi hic vnitatem: quali ficti-

one

one nostro iudicio minime erat opus, quando de numero suffragiorum maiori in collegiis, fidelitiis, ac municipiis praevaleente verba fecimus eumque contextum ex facto coitionis potius, quam Iuris peritorum commento intulimus. Neque adhuc sententiam mutamus: præsertim, si penitimus, dissentire neminem posse, quin in negotiis ciuilibus & communibus numerus suffragantium minor vincatur a maiori. At iam de crimine sermo est. Quis singat delictum, & factum singulis nocium? Quare statuas malim, maiorem corporis partem contagio peccati inueniri infectam; aliquos autem integros mansisse scelerisque puros: ac proinde confistere iam collegium ac communitatem non posse, quoniam plures a primo fine descendentes in deuia venere. Sicuti vero vnamini & prono in legum obseruationem & bonum ordinem consensu stabilitatem accepit vniuersitas, & propterea a summo ciuitatis principe est firmata, quia in ea nihil rationibus suis repugnans, aut disforme deprehendit; ita dum a se ipso dissidet totum, & pars parti contraria euadit, his in recti tramite ambulantibus, istis extra orbitam pros silentibus, aliam certe faciem totum nunc induit *av-  
eniam*, nec eodem amplius frui loco atque ordine poterit, quem disrupte homines maleuoli plures. Quocirca diffluet sane totum atque animam efflabit. Rupto vero ordine & coniunctionis vinculo sublato vnuquisque sibi restituitur, ita, vt tanquam homines singulares considereatur omnes arbitrioque summæ potestatis

statis merito relinquitur, utrum, soluto vnitatis firmamento, animaduertere in singulos, qui maleficium participant, an sceleris auētores subiicere, quas meruere, poenis parcereque quodammodo ceteris velit, quibus tum exempla astutiorum prælusere, tum Demagogicæ facundiæ fucus furorem iniecit. Eoque pacto prohibitum censeri minime poterit, si pari auctoritate publicæ tranquilitatis moderator nouas residuæ delinquentium multitudini leges præscribat, nec iisdem, quibus olim cumulati erant, priuilegiis frui permittat. Nec enim conquerendi vllus iustam habebit caussam sed potius latandi copiam insignem, quod non sint omnes funditus excisi, aut priua poena singulatim ac per capita effecti; sed in vnum iterum corpus compati, arctioribus licet cancellis circumscriptum, nullisque priuilegiis munitum.

### §. XVIII.

Ac caue sis lamentoris: tamen per indirectum innoxios laturos aliquid poenæ, vtut a facinore tam immani animum & manus cohibuere. Nego enim, eos puniri: et si aliquid incommodi sentiunt. Id vero incommodi rationem poenæ non habet. Qui peccant, suo delicto plectuntur; quanquam simul faciunt, ne pristinum systema perduret. Quare Principi nihil videtur tribuendum, præterquam quod noxia capita nolit impunita, nec, dum iis quodammodo parcit, eodem stare loco finat: quo sicuti excidunt suo malo; ita fieri

D

ne-

nequit, quin & innocentes quadam molestia afficiantur, & ob funus vniuersitatis municipiique certa ratione premantur. Princeps autem suo iure vtitur, quando sic debellat maleficos, cum aliam iniuste viam nequeat, nisi vel noxios quoscumque perdat, vel omnes a supplicio, quod meruere, liberet. Si prius, crudelitatis notam vix effugiet: si posterius, nimium fortassis lenis erit & in posterum impune contemnetur. Quod si vero temperet iras, nec totam vniuersitatem dispergens aliqua tantum ratione perdite insinantes mulctet; ex accidenti denum usui veniet, vt & quietissimi aliiquid iuris amittant: cuius intertrimentum interea non tam punienti adscribas, quam delinquentibus, qui eiusdem ciuitatis ac collegii consortes in eandem secum ruinare trahunt: dum videlicet prima subruitur consociatio, ac vel noua arbitrio imperantis surrogatur, vel denique plurima iis compendia subtrahuntur. Ut enim eodem felicitatis tramite decurrant fontes, peti nequit; vtque insortes soli vniuersitatem veterem constituant, nec expedit forte, nec fieri etiam aliquando potest. Igitur patienti animo ferendum, quod mutari nequit, aut alio concedendum, ni placet noua conditio; aliaque expedienda salutis via ineunda, si acidum hoc molestumque intolerabile videatur. Vnde haud male vniuersitatis delicta pestilenti morbo comparantur, quem aliqui in ciuitatem secum ferunt suo exitio inuolentes ceteros, ad quos contagium serpit, sani licet antea fuerint, & ab omni agritudine mentis,

mentis doloribusque vacui. Sat est nihil eruditatis  
hac parte residere in Principe, nihilque poena offendit,  
qnæ iratum animum prodant in eos, qui in societatem  
sceleris nunquam venere. Ab omnibus difficultati-  
bus ut quis immunit sit, humanam sortem transcendit:  
nemoque est, quem non madefaciat imber, incommo-  
detque tempestas agris fructibusque ceteroquin non in-  
utilis. Idque multo magis aequa deuorandum animo-  
quo certius præuideri ab initio potuere tam acerba,  
eiusque generis inamoeni turbines. Neque enim pu-  
blicæ rei rectores sodalibus vnius corporis promisere  
vñquam, æternaturum istud, eti motibus serueat Illi-  
um majorque sociorum portio officii limites migraue-  
rit. Jura, priuilegia, emolumenta, fructus rem ob-  
iectam personamque habilem poscunt; quæ, quia com-  
posita est hoc loco, suo interitu resoluitur in illa, ex  
quibus constituitur, vel aliam metamorphosin suffert.

## §. XXIX.

Atque eo pertinent similia & exempla, quibus  
Grotius Lib. II. cap. XXI. *de I. B. & P.* illustrat hanc do-  
ctrinam. Vix enim fideiussores dixeris mulctari, aut puniri,  
qui pecunia sua ob aliorum delicta emunguntur: nec in fi-  
lios proprie cadit poena, ad quos, propter patrum ne-  
fas, eorum non transeunt fortunæ; vixque necessum,  
vt omnes in lauta ac bene aucta parte positi conspicantur.  
Multi quippe egent, nec, quod aufertur no-  
centi, illico ex eadem cauſa admittitur innoxiis, vt ut  
spes

D 2

28 DE DELINQVENTE VNIVERSITATE

spes illis intercipiatur, & occasio ditescendi quadam  
nus in sumum abeat: idque sine noxa summa potesta-  
tis, cui tam seuerum consilium invitæ extorquet pluri-  
morum malitia. Quod de Carolo V. refertur, sin-  
gulare prorsus est. Hic conjuratos in se inque Nea-  
politanò regno turbas dantes præmiis mactauit, cete-  
ros inanes dimittens. Neque mihi dubium hæret, quin  
& hoc innocentibus & fide præstantibus acciderit pera-  
cerbum: & tamen ferendum erat patienti animo con-  
silium Principis παρέδοξον: a quo pacati potius exspe-  
ctabant clementia & liberalitatis documentum, quod  
interea reapse obtigit νανὸς ποιῶν male agentibus. Iu-  
bent Theologi, vt capistro subdatur ratio in iis, quæ  
fidem exigunt præcipuum: idem Politici docent, vbi  
de imperantium actibus sermo incidit; nec sane in ci-  
vitatibus mysteria deficiunt, in quæ subiecti quidem  
desiderant παρεγνωθεῖν, quanquam multa interueniunt,  
quæ prospectum illis intercipiant, & sua eos sorte con-  
tentos agere cogant, præcipiantue.

§. XXX.

Id sane ambabus manibus largior, ad regnan-  
tium officium pertinere, vt quam minimo incommodo  
afficiantur extra noxam constituti; sed id de cetero eo-  
rum religioni ac verecundia est relinquendum, quomo-  
do salutis sua tuendæ rationes ineant; posteaquam  
Dii illis imperium dedere, obsequij gloria reliquis re-  
licta, qui parent. Verum tamen vix diffiteor, habitu-  
ros

ros infantes aliquid rationis, si proprii amitterent quidquam, eorumque facultates vel imminutæ, vel prorsus ademptæ fisco manciparentur temere; vel corporali tandem supplicio illi affligerentur: præcipue, cum non desint Doctores acerbi, qui a bello argumentum ducent, ac diuini Numinis poenas ante oculos sibi constituant, omnium ciuium municipumque excidium eo pacto defendantes, nocentibus innocentibus iuxta percutiibus. Enimvero nondum exploratum est, num in ciuitatibus ac gentibus, quas DEVS pessum dedit, non peccauerint omnes? num filii non fuerint eadem labi infecti? ac num denique vel unus fuerit, qui se ab obsequio Domini non auerterit, aut auertisset aliquando? Ipsi enim cognitum censeri debet, quod nos ignoramus; semperque tenendum, eum, qui iustissimus est, & fuit, nihil iniuste fecisse. Principi vero in alia omnia evndum. Non is veris poenis coercendos statuet, qui nequicquam commeruere; sed potius secundum acta & probata animaduersationibus suis modum ponet: nec Hobbesium audiet, bellum hic comminiscemt, in quo flagellis, compedibus, ac morte expiant omnes insaniam ciuium rectorumque, culpa vacantes inueniantur, an secus. Lubricum id genus principium atque a ratione alienum est, in primis, cum hic præponatur, Principem pro tribunali sententiam pronuntiare, non autem bellare cum sibi subditis, quos seruari oportet, si incorrupti sint, non occidi, non opprimi ob criminâ aliena.

D 3

§. XXXI.

## §. XXXI.

Vnde difficultates omnes nos euasisse spero: modo notetur, Vniuersitates interdum vere & proprie criminis se se obstringere cum collatis consiliis ab officio deficiunt omnes, eoque dignis concastigari poenis; aliquando vero plures quidem in noxa haerere, non autem totum corpus; ideoque discindi quidem istud; sed dum scinditur, peccantes vel singulos considerari inque eos particulatim animaduertiri: quod quando fit, non vniuersitas, sed membra plectuntur, vtut multi ex vniuersitate inde aliquid molestiae capiant: ipsam autem corporis moralis extinctionem non tam penam esse ab imperante protectam, quam incommodum ex facto coniuratorum, cum sibi met ipsi nocentium, tum ceteris ex consequenti, qui, quantum in ipsis erat, ab omni labore mentem seruauiere castam atque integrum. Quo ipso certius ac securius ad scopum pertingemus, quam si delinqueret aliquando improprie vniuersitates dicantur, id est, non proprie: sicque a poenis immunes prætentur, quæ per se sunt a criminis suspicione remota: eo in super incommmodo remanente, delinquentes aut plane non puniri, aut, dum improprie peccant, impropriis plagiis subiici. Plaga vero impropria non est plaga, seu poena: quemadmodum delictum improprium culpa & dolo carens delictum non est, vtut, ob metaphysicum modum loquendi, delicti vox auditur, quæ improprii adiectione in auras rursus abit: quod germanæ

manæ iuris philosophiaæ vix congruit; eoque clariora  
& certiora principia sumus sectati.

## §. XXXII.

Quibus præmissis ad alia transimus, quæsturi,  
an ubi vere tota vniuersitas præcipiti cursu in seclus:  
se dedit, vniuersi & singuli debitis affligi poenis pos-  
sint? Et nihil ambigo, quin, cum de iure differitur, fie-  
xi id omnino queat. Ne quicquam enim *iniusti* hoc  
loco deprehenditur, si pereant omnes, aut magno suo  
malo mulctentur, qui manifesto flagitio dedere nomen.  
Vel enim tacite ad pœnam probrumque se se obligant  
subiecti, vel expressis verbis, ceu ciues Nepesini, de  
quibus apud R. Fabrettum occurrit inscriptio memo-  
riatu digna, semibarbaro & Langobardico lices filio  
conscripta:

ANNO DOMINI MILE. C. XXXI. TEMPORIE.  
ANACLETI II. PP. MEN. IVL. INDIC. IX. NE-  
PESINI MILITES NEC NON ET CONSULES  
FIRMAVERUNT SACRAMENTO UT SI QVIS  
EORVM NOSTRAM VULT FRANGERE SOCI-  
ETATEM DE OMNI HONORE ATQVE DIGNI-  
TATE DOMINO VOLENTE CVM SVIS SE-  
QUACIB. SIT ELECTVS, ET INSUPER CVM  
IVDA ET CAYPHA ATQVE PYLEATO HABE-  
AT PORTIONEM. ITEM TURPISSIMAM SV-  
STINEAT MORTEM. VI GALELONEM QV  
SVOS

SVOS TRADIDIT SOCIOS ET NON EIVS SIT  
MEMORIA SED IN ASELLA (\*) RETRORSVM  
SEDEAT ET CAVDAM IN MANV TENEAT.

## §. XXXIII.

Sed aliud prorsus est *etiquae*, an civilis prudenter regulis tanta conueniat securitas, nempe, ut parendum sit nulli? Quod non putat Seneca (\*\*) nec nos quoque. *Frequens*, inquit, *vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat: voluntas ante secundandi, quam caussa deficiat.* Alioquin quemadmodum præcise arbores plurimis ramis repullulant, et multa satorum genera ut densiora surgant, reciduntur: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Tollantur igitur papauerum capita, auctoresque nefarii facinoris sanguine luant, quod scelere coxere suo. Vnde sapiens Gallo-

(\*) Bene multa collegit laudatissimus Fabretti de hoc opprobrio a Græcis ad Italos deriuato, vt asino infidentes facie caude obuersa in ignominiosum veluti triumphum hostes ducerentur. Nec is omittit, quod de Beatrice Augusta Friderici Aenobarbi coniuge aliae a Mediolanensis imposita ac caudam pro freno gerente circumfertur: quod dedecus interea non impune stetisset, diruta in vindictam & solo æquata vrbe a Friderico vxoris Iudibrium viciscente. Sed confutauit hanc fabulam perillustris Vir, Dominus de Bunau, nobilissimus de-  
cens, in historia Friderici Barbarossa Teutonica idiomate elegantissime exposita, traditionem istam nullo firmari classico testimonio luculenter demonstrans.

(\*\*) de Clementia I. cap. 8.

Gallorum Regis Ludoitici XIII. resertur dictum a Grammundo historiarum Lib. IX. qui rogatus de Rupellanorū ac militum fortuna quid cuperet statutum? respondit: *Saluum fore utrisque libertatem, vitam & bona: paucorum capite omium vitam redimendam, eti vnum omnium crimen sit; non decimandas, ut olim, legiones, fortuna vetrice saepe in immeritos: non plectendos militie praefatos, quos veint seditionum autores leges mancipant poenam: quatuor capitibus irato Regi litandum, ire aliqua salua fore, si factione renunciabitur.* Idque est, quod Cicero in oratione pro Cluentio c. 47. expressit: *pnam sic ad paucos, terrorem ad omnes perueniuntur, Plura non addo, quia omnes prudentia ciuilis libri eius generis obseruationib⁹ atque exemplis pleni sint*

§. XXXIV.

Vtilius est & magis quarti dignum, quid de illasortitione militum ac noxiорum sit sentiendum, de qua autores veteres faciunt mentionem. Etsi enim non apud Romanos solum, sed & Græcos illa militum sortitio locum habuit, nec istam quoque Tullius in adducta Oratione *pro Cluentio* improbat; non puto tamen, cuā modum in delictis vñluerstati tuto semper adhiberi. Evidem non me mouet precaria quorundam ratio, alterum altero in tanta insipientium multitudine videri nocentiores, eoque iniquum videri par in impari culpa supplicium. Sufficit namque, neminem eorum esse innocentem, tametsi dispar criminis gradus occurrit. Nec enim semper necesse est, vt sic examus malitia numero respondeat poena gradus: quod supplicium furibus dictari solitum luculenter ostendit, vt

E

de

de homicidio nihil afferam, in quo plectendo improbitas quidem & fraus, non autem eiusdem maior minorue quantitas accurate semper expeditur.

§. XXXV.

Multo igitur sapientius & cautius I. H. Bœclerus ad Taciti annal. lib. I. c. IX. hac in re versatur, opinatus, non apparere continue, omnes reuera in crimen hæsisce. Multi sepe nolunt peccare, sed repugnare furentibus non audent; nec tanzen fieri semper potest, ut innocentiam demonstrent suam, quia silentio presserunt displicantiam ex metu in vi-  
rum constantissimum cadente; coque facillime coningere solet, ut dum vñæ committitur decisio, innocentissimus quisque agatur in furcam. Quod Romanis gentili-  
bus placuit, ex inolita superstitione est, existimantibus, non laturam Deorum prouidentiam, vt fors feriret noxa vacan-  
tem: quod neque Christiani, neque homines ratione pol-  
lentes credent hodie; cum decimatio fortuita non sit mo-  
dus definiendi capitales causas, nec Deus fortientibus tan-  
quam ex machina aduenire soleat: quamuis centies incla-  
metur, militari in foro non omnia resecari ad viuum, habe-  
re que omne magnum exemplum aliquid ex iniquo. Adi-  
cite enim Försterus ad lib. III. Annal. Tac. cap. XXI. SED istam  
politican, credo, non agnoscat mitis magister ac Dominus no-  
ster Iesus Christus. Quin immo apud Tacitum Annal. XIV.  
c. 44. haud temere rogatur: *num ex fusco exercitu, cum de-*  
*cimus quisque fusile (\*) feritur, etiam strenui fortiantur?*

Quæ

(\*) Vocatur alioquin hos supplicium capitale *fusarium*, de quo  
Lipius

Quæ C. Castri dubiratio magis me incitat, ne in crimine a multitudine commisso illam decimationem assensu meo firmem: nisi quidem omnes extra controvrsiam criminis tese commaculauerint. Et tum permitto cum Boëclero, cuius hic rectum & solidum iudicium est, valere illud Cassianum: *Mixturam iniquitatis in minimis, qua vitari non potuit, utilitate publica rependi.* Quam mixturam e præcedenti periodo inf. ex ponas velim. Vnde tum iustius, tum consultius erit iterum, vt in architectos sceleris animaduertatur. Quod Livius lib. XXVIII. c. 26. iplis placuisse Romanis adnotar, deliberantibus, vtrum in capita seditionis excandescerent, an plurimum supplicio defectionem vindicarent? Erudit, inquit sententia lenior, vt unde orta culpa esset, ibi pœna consistet, idque ad multitudinis castigationem satis esse.

## §. XXXVI.

Qui seueriores hic scilicet ostendunt, & Principibus calidiora consilia subministrant, non tam fortes sunt, quam omnium timidissimi. In hoc enim crudelium hominum certissima nota offenditur, vt, quia nimium metuant, seuiant, nec tuos existiment se esse, nisi eadant omnes, qui odiosas sibi suspiciones adulere. Inde est, quod Theodosium magnum ceu meticulousum hac parte depingat Gallorum disertissimus Flechierus septem circiter millia Thessalonicensium ciuium lauo exemplo occidi iubentem; quemadmodum Plutarchus Syllam sanguinarium urbis Prænensis ci-

E 2

ues

Lipsius aliisque de re militari Romanorum Scriptores. Vnde Tacitus FVSTE inquit FERITVR, seu ceditur. Conferatur Sullermannus de panis militaribus docte differens cap. IX.

36 DE DELINQVENTE VNIVERSITATE

ues omnes cruento suppicio tollentem aliaque immania  
patrarent tanquam imbellem & ad quosvis inanes sonos  
patidum describit.

§. XXXVII.

Dices: nos nimium lenes, ac fecurōs, nec rerum ciui-  
lium peritos videri: exasperandas aliquando pœnas, e-  
quis patriæ sui ipsius, liberorum, ac totius Reipublicæ igna-  
ue obliuiscatur. Non ignorō hoc: sed vix eum mitem, ne  
dum lenem ultra modum puto appellandum, qui capita fa-  
ctionis suadet damnanda; nec, ut dissoluatur societas, vt  
austerantur priuilegia, vt subruantur muri, vt inducatur pro  
re uata aratruna, int̄ recedit, multo minus ut delinquentes  
omnes ære mulctentur, repugnat. At perperam nobis vi-  
tio vertitur, quod innoxios opprimi nolimus, nec ales co-  
rum vitam committendam, nec cum Couarruia (\*) aliis  
que pecunia saltem, opibus, fortunisque priuandos statua-  
mus, qui extra noxiā sunt positi. Nam & mulcta poena  
est, quæ meritum poscit. Quod si ipsimet ad patriæ, vel  
colligi libertatem ac priuilegia redimenda auri argenti-  
que quoddam pondus exsoluere cupiant, nemo impedit,  
nec pro iniusto ac multatitio ære habebit.

§. XXXVIII.

Intera vix diffitor. Pontifices hac parte æquiores vi-  
deri, quam iuris civilis sacerdotes. Nec enim prælati fa-  
ctum ecclesiæ iuribus derogat c. 5. X. de integr. rest. Nec  
ob vniuersitatis peccatum diris omnes deuouentur, aut a  
com-

(\*) Väriar. Ref. Lib. II. cap. 8.

communione ecclesiæ separantur, cum mulieres, pueri & infantes in ea sint quibus nihil imputari culpa potest. Saltem hæc Innocentii IV. ratio, quæ cap. 5. Lib. VI. de sent. ex-  
comm. adducitur, sat prægnans est, a Brunnemanno, (C) quo-  
que haud temere approbatæ. Absurdum quippe est, cum  
dolore amputari eam corporis partem, quæ non compu-  
truit, ut loquitur Ambrosius lib. II. de officiis ministrorum  
cap. 17. est quæ falsum de cetero Pontifices statuisse vnuquam,  
& vñquam, vniuersitatem non delinquere. Potius hoc  
verum est, excludasse eos, aliquando vsu venire, ut ne vni-  
uersis & singulis infligi poena, multo minus attribui om-  
nibus audacia & veneno tincta malignitas possit. Vnde  
valde vereor, ut Gœddeus (†) recte rationes subducat,  
quando innocentium III. cap. 53. X. de sent. excommunicat.  
ceu contracunctem sententiaë vulgari adducit. Ipsemet et-  
enim fatetur tandem, eundem Pontificem pecuniariz poenæ  
vniuersitatem peccantem subiicere, non autem criminali:  
ex quo liquet, non posse illum statuere, communitatem a  
delicto immunem esse. At rursus falsum est, Innocenti-  
um eius esse capitulo auctorem, cum sit Honorius III. De-  
indennec hoc veritati congruit, criminaliter, aut etiam pe-  
cuniariter, aut etiam pecuniariter Präsumit Romanum in  
vniuersitatem statuisse animaduertendum; quandoquidem  
consiliarios & officiales ciuitatis Pisanae tantum fulmine sa-  
cro feriendos censet, siquidem priuilegiis ecclesiæ contra-  
ria statuta peruvaci ratione queri satagant. Ex quo con-

E 3

fit

(C) ad auth. int. l. 13. C. de Episcop. &amp; Cler.

(†) De verbis. signif. l. 17.

fit, nunquam Honorio in mentem venisse, tota ut Respubli-  
ca anathematis vinculo innodaretur. Cuius prospicien-  
tia exempla non sane laude carerent, si eodem semper te-  
nore decretis suis instituissent Romani Episcopi,

## §. XXXIX.

Ceterum & istud merito negatur, quod Reinoldus Cu-  
ricke Gedanensis *Comment. de privilegiis cap. 13.* Innocen-  
tio III. imputat, ac si sis *cap. 10. X. de poenis paracianos Vi-*  
*centinae ecclesiae omnes scudis ac beneficiis censuerit pri-*  
*vandos. Diuersum ex integra epistola, qua LVII, est Li-*  
*bristimi innotescit. Solos enim interfectores & caedis con-*  
*scios eorumque haeredes sic ille legitur coercendos præce-*  
*pisse, quod nec feudorum iuri repugnat: quamquam alio-*  
*quin id indubium proflus, ciuitatem, quæ in Episcopum in-*  
*surgit, eumque necidat, episcopali sede mulctari, quod ge-*  
*nus poenæ ex facto subiit Scyllacenorum vrbs, quæ est in o-*  
*ra Calabriae (\*) can. 25. canff. XXV. queſ. VI. Neque mihi*

*dubium haret, quin id e principiis iuris ecclesiastici defen-*

*di vtcunque queat: cum certe beneficium sit, ciuitatem ha-*

*bere episcopum, eumque residere in illa: Præsulem vero*

*interficere non solum maximum crimen, sed & dignum a-*

*nimaduersione ad posteros durante creditum semper fuit.*

Etsi

(\*) Vide, quæ Ferdinandus Vghelli de Episcopis Squillaci, seu  
Scyllacenibus colligit *Italia Sacra Tom. IX. edit. secundaf.*  
422. Patet enim hinc, obligisse huic iterum ciuitati Episco-  
pos. eoque restitutum, quod amiserat, decus. Habent etiam i-  
dem Vghelli & editor *Colleti in notis adjectis, quæ ad causam*  
*nostram faciunt p. 422. seq.*

Et si namque mulieres forte, infantes nonnullique e toto  
coetu a facinore tam immani immunes persistunt; tamen  
quidam illi vix possunt dilucide cognosci: infantes & mu-  
lieres vero sicuti nec primatio loco, nec princeps caussa  
sunt quare ciuitas priuilegiis ornetur; ita, vbi illa auferun-  
tur ex iustis causis, itidem illi respici non solent: multo mi-  
nus apci videntur, qui dignitatem & honores sustineant,  
vel ciuitatem repräsentent, quæ non sine beneficio summi  
Pontificis sedis episcopalis prærogativu iure fuit donata. I-  
taque quidquid isti amittere videntur, ad ουμβεβηνότα per-  
tinet, quæ a quo omnes animo ferant oportet; præsertim,  
cum non tam in innoxios dirigatur pena, quam ceteros;  
qui in criminis societatem venere. Accedit, quod tali ciui-  
tati in Præsules suos satienti non desint. V. SITATORES  
episcopi, nec aliflamines, nec omnis penitus spes præscin-  
datur, recuperandi prælinium decus, sicuti resipiscat, ac lau-  
dandis illa factis Pontificis fauorem, ac nouum beneficium  
mercatur, melioresque ciues in sinu souere suo incipiatur. Sal-  
tem ea ratione Ioannes II. Casario Arelatensi epist. I. rescrip-  
tit, Contumelioso Episcopo Regensi deiecto: *In cuius, in-  
quit, locum Visitatorem constituite, donec proprium ecclesia,*  
quæ eius est enacuata sacerdotio, meteri valeat sacerdotem.

## §. XL.

Non puto, me abberraturum a iapha, si ausim tueri,  
Pontificem Scyllacorum proteruiam eo modo coercuisse  
in sacris, quo Romani receptam castigauere Capuam in  
ciivilibus, de qua Liuius (\*) significantissime: *Ceterum ha-  
bitat*

(\*) Histor. Lib. XXVI. c. 57.

bitari tantum tanquam urbem Capuan frequentarique placuit, corpus nullum ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium nec magistratus est, sine consilio publico. sine imperio multitudinem, nullus rei inter se sociam, ad consensum inibilem fore, Praefectum ad iurare reddenda ab Roma quotannis misuros sanxerunt Patres. Huinsmodi praefectos comparandus est visitator Pontificis in vrbe Scyllacenorum, aut alia, quæ sedis Episcopalis honore exiuit. Trunca est talis eccllesia, sine senatu, sine moderatore, sine imperio. Quod quanquam acerbum accidat pluribus, iisque cum maxime, qui nulli dolo obnoxii fuerit, puto tamen hic valitaram deum Grotii ac Hertii rationem, quam alia sub  $\chi\sigma\tau\epsilon$  reiceimus supra, nihil proprie amittere singulos, quandoquidem ea, quæ vniuersitatis sunt, non pertineant ad singulos, quemadmodum, quæ singulorum sunt, non protinus vniuersitati censcantur propria.

## §. XLI.

Sed istud vero nullo iuris colore defendi potest, puniri oppida atque vniuersitates, vbi, qui delinquere, non amplius superant. Quamuis etenim vniuersitas, post multorum saeculorum decursum, maneat vniuersitas, quia ex distantibus partibus constat, quarum vna sine dissolutione totius perpeti iunctura alteri succedit, eandemque nihilo minus speciem seruet; non est tamen haecce vnitas eo trahenda temere, vt, dum omnes diem suum obiere, qui a recti tramite auerterant, in succendentium præiudicium fingatur delicti  $\mu\nu\alpha\tau\epsilon$  ac meritum, quod non est quærendum in toto, sed membris, quæ hac parte semper considerantur se orsum

sum, (\*) At illa, quæ nunc animo oculisque obseruantur, non modo nullum verum crimen commisere, sed & ne fieri quidem infamia conflagrant. Vbi vero peccatum deficit, meritum vanescit: vbi nullum meritum, nulla pena cogitat, ac multo minus infligitur. Quocirca vani omnes sunt, qui, quod ciuitates dicuntur immortales, xterna in eas odia agitanda, nec ullo tempore extingui earum delicta, sibi persuadent, furenti Alexandro hac parte similes, qui, dum Persas oppugnabat, antiquas de illorum in Græcos omnes odio fabulas repetitum ibat, varia immiscens, quæ Parthenonii, multum sapientiori, fastidium mouebat; sicuti Grotius retulit ex Arriano Lib. II. de I. B. & P. cap. XXI, §. 8. Rectius incedunt, qui ira & cupiditatis suis modum figunt, & præsentes causas sestatim veterum iniuriarum obliuiscuntur; in primis cum poena & delicta non sic communicentur cum post futuri saeculi hominibus, atque præmia & beneficia continuata virtutis indices. Quæ omnia sicuti Grotius luculenter exposuit, ita pluribus afferendis hoc loco merito supersedemus: id solum addentes, eadem mentis æitudine laborare, qui Germanorum in Romanos imperium a Cæsar, Drusi aliquaque Romanorum Imperatorum in Teutonia populos iniurias arcessunt, eoque servi-

F

tu-

(\*) Contrarium perfluerunt multis locorum legalium scriptores, in quibus Eberhardus familiam dicit Hinc auctor statuerunt, non esse absurdum, si a contractuum & pactorum, quæ inveniunt viuenterates, communione argumentum ducatur ad unitatem in delinquento: in quo latet Φεῦδος.

tute & sanguine Italis Quiritibusque recentiori etate iure parentatum ingeminant. Longe enim alia peritioribus cognita sunt, qua anam dedre Francis Germanisque, ut Langobardorum regna euerterent, & Romani imperii habendas caperent. Non sicut Adami peccatum totum genus humanum contagio suo infecit, inque eo omnes deliquerunt, etiam successores in oppidis, societatibus ac collegiis turpia patrarent, cum iura abrumperent maiores, atavii, abauii, & aui. Potius immanis haec est & stulta persuasio, ut, quia claudi incesserunt patres, ac lumina amiserunt, articulis se deant posteri colligatis, orbenturque oculis, ac sine sua enlpa feris lacerentur poenis. Ita enim primum bonum in vniuersitate foret, NON NASCI, secundum, CITIVS MORI, & tanquam ex incendio delenda fortunæ effugere: siquidem omnes in vniuersitate, oppidis atque vniuersitatibus successores materia deberent esse, per quam diffunderent se mala majorum meliusque, credo, fuisset, si nihil ynquam inuneris accepissent sequioris etatis senatores, quam ut nunc ob antecessorum sacrilegam impietatem, & mores peruersos cruciatibus innocentium, aut auri pondere extorto pasceri tur, nescio, quis, factorumque dentium mordacitate laniarentur insontium ciuium corpora & collegia.

### §. XLII.

Sed linquamus tam illeppida, & inrer sobrios bacchari iniustas animas sinamus, examinatur quæstionem magis nec ssariani: an videlicet, mox celestis, qui peccauerant, sua recuperet bona atque amissa iura vniuersitas? Et videtur

detor id primo obtutu. At certum habemus, id quod extinctum, non reuiscere, nisi hoc dictum promissum uic. Sed nihil singas dictum; non igitur ius habebunt petendi amissa per se, qui nunc sustinent conficiuntque personam compositam, hoc est, vniuersitatem, aut etiam tanquam multitudo sine societate considerantur adhuc. Quidquid spei superest, a nouo beneficio summae potestatis pendebit. Novum autem sicuti non est vetus; ita quod accipiunt, recenti Principis supremi benignitati acceptum erit serendum. Quod e feudorum iure de agnatis in medium fertur, ad rem non facit. Feudum adliberos velut hereditas transit; qui, si deliquerit Pater, ac prædia, & terras propterea amisit, nil certe inueniunt, quod suo adiungere patrimonio possint. Agnati vero causa a deictis propter infidelitatem non habent; sed aliunde accipiunt, quidquid illis, extincta familia delirante, obtigit: ut taceam, eos, qui sunt de familia, non referre collegii, aut fodalitatis vnius πρόσωπον.

### §. XLIII

Corpus vero, quod mortem subiit, non existere amplius merito censemur. Nec reprehendendus est Cneus Piso, quod *Athenienses tot cladi bus extinctos non amplius ATHENIENSES, sed colluiciem nationum appellauit:* (<sup>†</sup>) quamvis in hoc sibi ipsi & ante dictis repugnantia cumularerit: hos esse Mithridatis aduersus Sullam, Antonii aduersus dinum Augustum socios; etiam vetera obiectans, que in Macedones improspere, violenter in suis fecissent. Quomodo nam-

F 2

que

(\*) Tacitus *Annal. Lib. II. cap. 55. n. 1.*

44 DE DELINQVENTE VNIVERSITATE

que hæc illis exprobare potis erat Piso, ni veteres essent Athenienses? quod iam animaduerit Grotius *lib. II. de I. B. & Pac. cap. IX.* & Amelotus *ad h. l. refq;* eoredit, an vñquam ad incitas ita redacta fuerit Atheniensium respublica, vt expirauerit penitus? quod iam nostrum non est excutere.

§. XLIV.

Sed sumamus ciuitatem, aut vniuersitatem, in qua corporis ratio seu perfecta iuris communitas sit sublata, vel membra hinc illinc dispersa; fingentes insuper, refloerre illum & summæ potestatis fauore ita recreari, vt corpus esse iterum incipiat, imagin. inque recipublicæ recipiat, ceu de Capua memorat Velleius Paterculus. Quanquam enim Velleius *lib. II. cap. 44.* amigue loquitur, ita vt critici certent, quid sit: *IUS AB HIS restitutum post annos circiter CLII.* quam bello Punico ab Romanis Capua informata predebut & redacta era; non puto tamen, ea in re diu esse sudandum, quin de Cæsare & Pompeio Historicus verba fecerit, HOC sua ore, vt ager Campanius plebi diuideretur, ILLO legislatore. Quocirca AB HIS merito ius Capua restitutum dicitur, ius i ciuitatis, quod olim amiserat; vt recte arguant Isaacus Vossius cum Nicolaus Heinsio, *ius*, quo ante proditam Hannibali urbem fuerat. Et nemo somniabit interea, Capuanos iure suo, posteaquam progeriles proditionum evanuit, reciperasse adempta. Potius parebit, secisse coloniam eo deductam, vt nouum beneficium iis impertirent Cæsar Pompeiusque afinite arctissimum temporis coniuncti; nec improbabile, plura pedentim ab Imperatoribus suis adiecta priuilegia noua.

§. XLV.

## §. XLV.

Simili ratione Spartianus in Seuero cap. XVII. commemorasse dicitur, hunc Imperatorem Alexandrinis *ius Buletarum* dedit, quod publicum fuisse consilium, diu iis ademptum. Sed dicitur hoc a Barberynaco longiori paraphraesi Grotii notam exponente. Saltem nec Spartianus id prodit, nec Grotius ita Spartanum intelligit. Tale enim consilium nunquam habuere Alexandriti, eoque nunquam amisere. Ait Spartianus; *Deinde Alexandrinis ius Buletarum dedit; qui sine publico consilio, ITA UT SVB REGIBVS ante vinebant, uno IUDICE contenti, quem Caesar decesset. Itaque ut sub Regibus uno iudice agebant contenti, ita sub Romanis usque ad Septimium Seuerum, quem hi appellauerunt juri dicum. Solus Reinesius Spartanum refellit; eum que ignorasse scribit, (\*) Alexandrinos olim indigenam magistratum habuisse* *ἀρχόντας* *dicitum: cui Buleutas adiecerit* demum Seuerus, non autem ut decuriones, seu senatores *in participatum cum iuridico venirent. Sed valde vereor, ne &* Reinesius a veritate declinet. Nusquam enim legitur, auctate Seueri vel deesse iuridicum Alexandria, vel praetor iuridicum, proprium eos & indigenam magistratum habuisse quem iuridici nomine perperam insignisset Spartianus, qui fuisse Iudex Egyptius. Vnde adhuc Valde dubium, quid munera gesserit ille *ἀρχόντας*? Et putem, fuisse eum defensorem patrie, agentem & inducentem lites, voce libera commoditates Alexandrinæ civitatis tuentem; a qua conjectura non abhorrent, quæ Iacobus Gothofredus lib. XII. C. Theod. ad f. 189, 190, 192, 193, illustrandas adulterio.

F. 31 verso quod omisimus in-

(\*) Inscript. Classe II. n. XXVI.

46 DÉ DELINQVENTE VNIVERSITATE

inque primis circa finem eLuciano adnotauit, quem vide-  
sis. Quibus si addideris Dionis Cassio memorata Lib. LI,  
p. 455. ed. Leunel, Reinesio vi x præbebis ad sensum; de cuius  
adseritis iam dubitauit Nodius ad tit. ff. de Iuridico Alex-  
andrie. Itaque alia municipiorum & vniuersitatum ex-  
empla sunt conquirenda, quibus amissa iura sint redditia, aut  
noua indulta; qualia copiose tum e veteri historia tum re-  
centiori suppeditat laudatus Curike *comment. de priuileg.*  
*cap. XIII.*

§. XLVI.

Verum quid? si iniuste damnata vniuersitas, nec au-  
dita sit vñquam, sed præcipiti consilio omnibus spoliata pri-  
uilegiis ac iuribus, intercepto simul, qui eos colligabat, spi-  
ritu? Et nemo futurus est paullo humanior, qui neget, nihil  
illi affricari maculae, nec quidquam iure videri erectum, in  
se nulla sit sententia, an innoxia prouersus id genus mystica  
persona & a crimen immunis, cuius cauſa est interea pœ-  
na ferenda ad dicta. Nec dubito, quin illa tum pro tribu-  
nali supremi Numinis, tum hominum quoque satiorum in-  
dicio ineolumis persistat, nec vlla indulgentia, aut absolu-  
tione indigeat, cum nulla ratione ea seſe sententia intelligat  
obligatam; præſertim si error, vt aiunt, intolerabilis subſit,  
aut vitium insanabile intercurrat certum. Sed fieri tamen  
ſæpe potest ac ſolet, vt in foro exteriori nec omnibus tale  
vitium illico innotescat, nec ſatis tutum videatur, vt a ne-  
cessitate parendi proprio ſeſe aſſu liberet ciuitas, &, con-  
demnatione non adtent, priftina iura continuet. Hinc  
multo consultius, vt ad ſuperiorem iudicem eatur, præſer-  
tim cum pro Princeps iuris ſpeciem non prouersus negligente  
præsumtio pugnet, nihil eum feciſſe iniuste, ac contra fas.

Quod

Quod si vero superior non sit, tum quidem vel ferenda est iniquitas fortis animo, vel consugiendum ad preces; coquere pacto huic rei accommodari haud inepte potest, quod Canonici iuris magistri inculcant: *Sententiap. storis sine iusta, sine iniusta, timenda est.* Quod eo interea sensu intelligas caue, ac si iniusta sententia aliquid efficientiae & solidi in iure contineret. Id enim nec *Canonistae* volunt, qui hoc axioma e Gregorii Magni homiliis didicere; probe gnari, decretum ab omni iure vacuum, atque ipsum *excommunicationis* fulmen in innocentis ejaculatum neminem ferire, aut vincere; sed iuste tamen metui, quia a potentiori prolatum & emissum, cui sine summo offendiculo ac manifesto pietatis impedimento obsequium negare nemo potest. Et fac vero, restitui de num, postquam deseruit Principis iura, iniquam sententiam passos ex capite iustitiae, & non erit dubitandum, quin sint eum plenissimo effectu restituti; & honores, & bona, & iura prærogativa omnia recuperent, quia innocentiam suam liquido demonstrarunt; idque, quod præcipiti mente decretum, nullius certe momenti atque efficientiae fuit. Cumque alias dispergant Consulti, an alienata iam a fisco inque alium translata primis dominis reddi oporteat; hic proœcto silebunt, cum causa distractionis ab initio non considererit, totumque delictum, ob quod extrema subiit miseranda vniuersitas, in commentitiis reponendum sit. Quocirca & fructus restinentur cum re, aut premium in fiscum ex alienatione redatum, siq. idem tolli ab altero sine magno dispendio incommodoque nequeat. Alioquin enim perperam accipiens

de

48 DE DELINQVENTE VNIVERSITATE

dē iure quæsito garret sibi non auferendo; cum pro re-  
sistis ipsa iustitia verba faciat; nec illi sine causa retine-  
re liceat, quod alteri iniustissima ratione est ademptum: la-  
tius hæc persequente Peregrino *de iure fisci Lib. V. tit. II. n.*  
*34. seq.*, itemque Francisco *Sarmiento Hispano ad legem*  
*Gallus §. 5 quid sit tantum n. 68.*

§. XLVII.

Quod secus est in restituzione, quæ sit ex mera beni-  
gnitate & gratia. Tum enim neque fructus pensabuntur  
fentiam passis quia ex bonis prouenere, quæ iure abstulerat  
fiscus; neque alienata redendentur, quia a facultatem alienan-  
di habuit Princeps punito & accipere alter potuit bona si-  
de: nisi quidem largissimam restitutioni legem dixerit; quod  
interea non presumitur fecisse, sed probandum est  
vixque.

§. XLVIII.

Eo probato, plenissime rursus in sede sua collocatur  
communitas, cunctaque retribuuntur illi atque adnume-  
rantur, perinde ac si iustitiae ratio Principem impulisset, vt  
redhibitionem decerneret. Quanquam enim alienata bo-  
na restituenda non videntur, ne principale beneficium aliis  
officiat, & ius illis quæsitus eripiat, per quos distributæ  
sunt res commissæ; credo tamen, licere id suminæ potestati  
ex causa utilitatis publicæ, (\*) ob quam modo amplissi-  
mo in integrum restituit ciuitatem, cui olim erat iratus.  
Nec hæreo, actiones quoque in personam huiusmodi

vni-

(\*) H. Zoesius *ad ff. de sentent. pass. & restit. n. 7. Galius de*  
*P. P. L. II. c. f. n. 24. Sarmiento I. c. Peregrinus*

vniuersitati salvas esse, quas forte remisit debitoribus filius, ad quem ex illius delicto peruenere iura, copiae, facultates & credita vniuersa. Quam positionem multi quidem negare solent doctores, rati, iura in personam, & obligationes omnes eo momento videri extincta, cum capite minuitur tota *κωμόπολις*, seu communitas municipalis. Sed sicut iura in rem ipsimet fatentur restituunt; ita afferendum est argumentum cogens, quare, Principis facto interueniente, reuiniscere nequeat ius crediti? Ponimus enim, ex causa utilitatis publicæ tolli posse ius quæsitum ab illo, cui donatum, quique de lucro certat. Quod si vero ex iure, merito ac lege redintegrantur vniuersa, eo minores restant scrupuli, repeti quoque creditum posse, quod, tabulis redditis, acceptum debitori tulit princeps Magistratus, præcipue, si statuatur, illis esse remissionem factam, qui sub eius potestate & iurisdictione vitam viuunt. Sed finges, exter-  
na Republicæ, aut eius ciui liberationem obtigisse; & iterum censeo, si iure agatur, non vi, simulque rationem audiant debitores, reuiniscere hoc casu obligacionem, cum sine cauiss liberalis non solum fuerit donator, sed & de re & iure alieno pro arbitrio nec potuerit, nec voluerit esse largus, cum damnati commiserint nihil, ob quod priuarentur credito. Aliud fo-  
ret, si municipium aliquid fecisset poena dignum. Tum enim merito occinerent donatori: Tu ius habuisti ex municipio delicto, ut eorum bona, copias & actio-

G

nes ad

nes ad fiscum reuocares. Reuocasti: quodque tuum erat, ac  
tibi debuimus, qui in locum municipii huiusque ius veni-  
sti, nobis acceptum tulisti; nihil restituamus igitur. Non  
tibi, quia a Te caussam habemus, non sodalibus muni-  
cipii, quia merito eos omnibus rebus & actionibus ex-  
uisti. Amissa non amplius pertinuere ad creditores no-  
stros, sed ad te; qui, si paeniteat te facti, atque in ve-  
teri sede affictos collocandos censeas, alio remunerare  
illos modo ac pensare aliquid ex alio poteris. Utillaris  
publicæ color nos vix tangit. Quod tibi utile, nobis  
molestem accidit; & imperium aurem eminens, ex quo  
cives tuos compellere ad restituendum potis es, nos non  
adtinges: nihilque hac parte ad rem faciet, nos de lu-  
cro captando certare, ac tuos de damno vitando; quan-  
doquidem primo damnum, quod quis sua culpa fecerit,  
damnum non est; deinde, si sorteau pro damno habe-  
as, quod amisit municipium, tu, quæsumus, id renu-  
meres illi. Sic reparabuntur cuncta; nec nostra tandem  
intercerit, vtut & queatum temporum præteriorum resar-  
cias. Nos autem nihil reddemus semel punitis; quæ  
bona fid. & iusto titulo tuo accepimus arbitratu. An  
vnu eueniare & offerri iuriu peritis id genus exemplum  
possit, illis, credo, incertum, aut ambiguum vix vide-  
bi ur, qui litem inter Thebanos & Thessalos, de qua  
Quintilianus L. V. Inst. cap. X mentionem facit, suis  
prioribus exigunt. Reddedit enim hisce Alexander  
tabulas crediti, cum euerisset Thebas; constatque plus  
fatis,

16 208

satis, summam debiti Thebanos demum a Thessalibus iuisse repetitum. Saltet ut similis contingat casus, impossibile, aut potius infinitum non est.

§. XLIX.

Cum quo eleganti themate si nostræ dissertatione ultimam imponeremus manum, nemo fortassis id nobis versurus esset vitio; in primis, quum incognitum nulli sit, quæ academicis exercitiis constituta sit metra. Sed iuuat vnum adhuc excutere quæstum. Qui poena affici debent, præsentes non solum sint, sed & libertatem defendendi se habeant oportet. Quomodo igitur pro fortunis suis loquatur vniuersitas, & per quem defensionis suæ præsidia explicabit? Cum enim illa ad vere delinquendum apta sit, eoque criminale negotium eidem intendi queat, intendaturque saepius; atque vniuersitas interea per se in iudicio stare neutriquam soleat, nec, etiam si omnes compare cupiant, possit; in criminalibus causis vero, si poena in relegationem, aut fustigacionem destinat, aut etiam capitis periculum sceleris sociis impendat, procuratur rei iudicatur; perplexa & anceps oriri videtur controvertia quid in tanta legum ac iuris collisione sit statuendum? Syndicus namque, vicunque consideretur, Procuratoris sane vicem subit: ac veluti hic res hominum singularium in iudicio curat; ita ille personæ compositæ negotia expedit, & pro vniuer-

---

52 DE DELINQVENTE VNUERSITATE

---

sitate sua in ius vocat, & vocatur, iudicium postulat,  
& patitur, siveque communitatis sodales vmbone suo  
protegit. At quum accusationis procella culpatos  
peruertere possit, efficique interca nequeat, vt inno-  
cens afficiatur supplicio, & Syndicus autem ab omni  
contracta labo immunis censeatur, siveque exsecutio  
sententia certo deficiat, ceu in procuratore innoxio;  
ab hoc sane ad alterum consecutio necesse minime  
spernenda, nimirum, ne admittatur Syndicus. Sed  
peruulgata tamen Doctorum opinio est, Syndicum in  
capitali fraude & crimen ab vniuersitate auertendo si-  
ne discrimine adhiberi, & nunquam teneare excludi. Cu-  
ius rei ratio in eo potissimum cubare existimatur, quod  
oppida, municipia, collegia non sint de fuga suspe-  
cta; nec etiam possibile iuris tensu, vt praesentes com-  
pareant vniuersi: ideoque, quod in priuatis rebus per-  
sonisque prohibitum, in publicis & communibus soda-  
litii causulis credetur licitum. Ex quo confit, vt pre-  
cario Galli (\*) aliorumque argumento, quo vtuntur,  
neutiquam indigeamus, quod in vniuersitate non oc-  
currat capital, aut poena corporis acerba. Est enim  
hoc, si summum contuecamur ius, perspicue falsum;  
cum sane in omnes animaduertere Princeps possit, qui  
vno animo nefarium facinus patruere. Quod iam  
Lautderbachius de *Syndicis* §. LXIII. obseruauit dissen-  
tient

---

(\*) de P. P. Lib. I. cap. X. n. 11.

tient esque in viam, a qua declinat, reduxit; monens simul, mandatum hic a Pragmaticis requiri speciale: quod etsi legibus non probatur, ut largiter in medium adducuntur; est tamen id rationi fatis conueniens, dignumque, quod attendatur, utileque, ne negligatur. Cumque transmissio actorum in mores irreperitur, ac Princeps in propria causa fisci utilitates vix soleat posthabere, idcirco non erit reprehendendus, multo minus irato vultu contundens Syndicus, si, quod iura permitunt, beneficium suis quoque imperdiendum vrgeat idem. Plura nunc non habeo dicere in tanta temporis ac chartae penuria. Manum ergo de tabula.

F I N I S.

DOC-

DOCTISSIMO  
CANDIDATO  
PRAESES  
S.

Exst, quod gaudeas, habere TE PATREM sapientem  
Et eruditum, qui in id potissimum incubuit, ut in  
iuris arte, aliisque disciplinis liberalibus proficeret, Et  
relictis demum Academic negotiis, ad publica, adspicares.  
In quo sicuti a prepropera festinatione abstinuisti; ita  
plenior bonis copiis in Patriam redis, que viros nutrit  
praestantissimos, quos quamquam continuo alloqui non da-  
tur; tamen e longinquo colo, iisque fausta omnia Et la-  
eta appreco. Ego vero si me cupiditatis rationem du-  
cerem, TE nobiscum esse maxime vellem. Sed cum in re-  
bus tuis neque conducat; neque meum sit, tuas impedi-  
re spes, Musisque nostras tanti non putem; ut paren-  
tes, propinquos, Patronos, qui tui desiderio tenentur, lon-  
gius distineas, facile te cum transigo, ceu optimo teste, qui  
noster in TE animus fuerit, quaeque propensio. Hec TIBI,  
antequam a nobis abires. Qui autem posthac sis futu-  
rus, quaeque accessio obtigerit fortune tuae, a TE, spero, res-  
ciscam. Tantum DEV' M rogo, ut lucuadiora innuntas  
domi, quam optare possum TIBI. Vale Et res tuas felici-  
ter gere. Ex museo pridie Kalendas No-  
vemboris CIO 1000 XXIV.

ULB Halle  
002 106 272



3

Sb.





**Farbkarte #13**



B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q. D. B. V.  
DE

VNIVERSITATE  
**DELINQVENTE**  
EIVSQVE POENIS  
DISPV TABIT  
PRAESITE  
**NICOLAO HIERONYMO**  
**GVNDLINGIO** iCT.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS  
INTIMIS ET ECCLESIASTICIS IVRIVM PROFESSORE ORDINARIO

h. t. DECANO.

PRIDIE NONAS NOVEMBRI

H. L. Q. C.

PRO PRIVILEGIIS DOCTORIS  
CONSEQUENDIS

**CHRISTIANVS PHILIPPVS STOLL**

ZITTAV. LVS.

*HALLAE MAGDEBURGICAE,*  
Typis IOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.  
MDCCXXX.